

tur. Exemplum prioris est : Si christianus confiteatur se contraxisse matrimonium cum persona infideli : tali enim confessioni repugnat jus canonicum, eo quod juxta illud nequeat dari matrimonium validum fidelis cum infideli, ob impedimentum dirimens disparitatis cultus. Et idem accidit in aliis similibus.

33. *Idque exemplificatur.* — Exemplum posterioris est : Si quis confiteatur se occidisse Titium, qui tamen adhuc vivit. Item, si confiteor quempiam esse meum filium, qui est majoris ætatis, quam ego ; prout exemplificat Glossa in cit. cap. ult. §. *Confessus* et Abbas ibid. n. 16. h. t. Proinde, ut confessio præjudicet, necesse est inter alia, ut saltem naturalibus conveniat : alioquin non tam confessio, quam mendacium monstruosum esse censebitur. Hostiensis, ubi supra.

34. *Aliæ conditiones ad validam confessionem equisite. Remissive.* — Quod si nonnullæ aliæ conditiones ad validam confessionem requirantur, eadem commodius in progressu declarabuntur, resolvendo speciales circa confessionem tum judicialem, tum extrajudicialem quæstiones.

## § II.

## DE CONFessione EXTRAJUDICIALI.

35. *Confessio extrajudicialis potest varie fieri.* — Quæritur. I. Quam vim probandi habeat confessio extrajudicialis, præsentè adversario facta? Et notanter additur, « præsentè adversario facta. » Varie enim potest fieri confessio extrajudicialis ; videlicet præsentè, vel absente adversario, sive eo, in cujus favorem ipsa tendit. Item cum adjectione causæ, vel sine expressione hujus : cum juramento, vel sine juramento : geminate, vel dumtaxat semel. Et de omnibus istis speciebus est dicendum, incipiendo de confessione extrajudiciali, præsentè adversario facta.

36. *Hic sermo est de confessione extrajudiciali legitime probata. Et qualiter ea probetur?* — Loquimur autem hic de confessione extrajudiciali legitime probata ; sive, quam a se factam esse, vel ultro quis in judicio confitetur, vel saltem per duos legitimos testes probatur. Alioquin enim, si quis negaverit ejusmodi confessionem a se factam, procul dubio nulla exinde probatio desumi poterit, donec adversarius eam factam esse rite probaverit. Quod autem ipsa rite probetur per

duos testes contestes, seu eandem confessionem in sua præsentia factam esse deponentes, indubitati juris est, per textum in c. *Licet*. 23. de *Testib.* et c. *Relatum*. 11. de *Testamen.* cum similibus : ubi illud Salvatoris *Matth.* XVIII, 16, refertur : *In ore duorum, vel trium testium stat omne verbum.* Atque amplius declarat Maranta part. VI *Speculi aurei*. tit. de *Confession.* n. 14 ; Mascardus de *Probationibus*, concl. 79. n. 1 et seqq. Quibus prænotatis.

37. *Confessio extrajudicialis præsentè adversario, et cum adjectione causæ facta, in civilibus plene probat.* — Resp. I. Confessio extrajudicialis præsentè adversario, simulque cum adjectione causæ facta dicendo, « Fateor me debere Titio centum vi mutui, » in civilibus plene probat, etiam ad affectum inducendi obligationem. Ita Glossa in can. *Testes*. 3. q. 9, §. *Audierunt*. id probans ex l. *Generaliter*. c. *De non numerat. pecun.* ; Speculator, tit. de *Confessionibus*. § *Nunc videndum*. n. 5 et 6. Maranta part. VI. *Speculi aurei*. tit. de *Confessione*, n. 6 ; Sannig h. t. cap. III. n. 2 ; Mascardus, de *Probationibus*, concl. 346. ubi, licet, n. 1. cum plurimis aliis a se allegatis absolute doceat confessionem extrajudicialem parte præsentè plene probare, nihilominus hanc suam assertionem, n. 25 et 26, cum aliis limitat, quando confessio ejusmodi facta est sine causa ; quia tunc (inquit) plene non probat.

38. *Idque probatur.* — Conclusio hæc desumitur ex l. *Cum de indebito*. ff. de *Probationib.* et amplius ex l. *Generaliter*. ff. *De non numerat. pecun.* Ubi imperator istud in naturalem æquitatem refundi, illis verbis : « Nimis enim indignum esse judicamus, quod sua quisque voce dilucide protestatus est, id in eundem casum infirmare, testimonioque proprio resistere. » Concordat c. *Per tuas*. 10. de *Probat.* ubi Pontifex hæc eadem verba allegat ; indeque concludit, quod, postquam mulier asseruit sese filium, quem in domum Titii reversa genuerat, ex eodem Titio suscepisse, quem etiam Titius pro suo filio agnovit, ejusdem mulieris juramento in contrarium præstito non amplius sit standum.

39. *Pars adversa, quando censeatur esse præsentè?* — Additur notanter in conclusione, « præsentè adversario, simulque cum adjectione causæ facta. » Nam de confessione sine adjectione causæ, vel parte absente facta, dicitur ex professo inferius n. 49. et 54. Solummodo hinc notandum est, quod « Pars

adversa » (hoc est, illa, quæ pro se allegat factam confessionem extrajudicialem) non solum tunc censeatur esse præsentè, quando ipsa personaliter interest factæ alterius confessioni, eamque intelligit, atque acceptat ; sed etiam, quando præsentè adest ipsius nuntius, sive negotiorum gestor, et factam ejusmodi confessionem coram testibus pro absente acceptat. Mascardus, cit. concl. 346. n. 3. post Gravettam, consil. 272. n. 16 et alios. Sufficit etiam, ut confessio dicatur fieri in præsentia partis, quod pars ibidem accidentaliter reperitur, etiamsi confessionem expresse non acceptaverit ; per textum in c. *Cum dilectus*. de *Successionib. ab intestat.* ibi : « In præsentia Abbatis : » ac notat Parnormitanus ibid. n. 5.

40. *In causis criminalibus, quam vim probandi habeat confessio extrajudicialis?* — Resp. II. Loquendo vero de causis criminalibus, confessio extrajudicialis cujuspiam delicti non probat, ut quis possit affici pœna ordinaria : bene tamen, ut confitens subjiciatur torturæ. Ita Rota decis. 1. (alias 180.) de *Confessis, in novis*. Glossa fin. in l. *Capite quinto*. et ibi Bartolus ff. ad legem Juliam de *Adulter*. Jason l. *Magistratibus*. n. 4 et 5. ff. de *Jurisdic. omn. judic.* istud etiam concedens de confessione criminis facta coram notario in absentia judicis. Felinus in c. *Olim*. n. 2 et seqq. de *Rescript.* ; Maranta, part. VI *Speculi aurei*. tit. de *Confessione*. n. 3 ; Mascardus, concl. 498. n. 1. allegans alios. Ratio est, quia in causis criminalibus, ubi agitur de damno irreparabili vitæ, vel membrorum, requiruntur probationes luce meridiana clariores, l. ult. c. de *Probation.* Atqui talis non est confessio extrajudicialis delicti ; quinimo posset quandoque confessio criminis potius tædio vitæ, aut ex desperatione emissa fuisse, quam ex conscientia criminis l. I. § *Divus*. et § *Si quis ultro*. ff. de *Questionib.* ergo.

41. *In causis criminalibus, quam vim probandi habeat confessio extrajudicialis?* — Atque hoc ampliatur, etiamsi confessio criminis facta fuisset præsentè parte adversa : nam præsentia partis nullam vim habet in criminalibus, ob rationem proxime dictam ; et notat Felinus, loc. cit. n. 4 ; Maranda, cit. n. 3 ; Mascardus, n. 10 et 11. allegans alios. Quia vero ex tali confessione gravis oritur præsumptio, ac indicium contra confitentem, merito asseritur exinde locum esse torturæ ad elicendam legitimam et judicialem confessionem.

42. *Confessio solum incidenter facta, non probat.* — Objicies majoris claritatis gratia contra priorem, et datam n. 37 conclusionem. In cap. ult. *Successionib. ab intestat.*, legitur facta confessio in præsentia partis, puta Abbatis, quod quis « se et sua obtulerit monasterio, » sicque non possit condere testamentum : et tamen confessio illa plene non probavit, sed semiplene dumtaxat, ut patet ex littera ; ergo. Resp. cum Abbate in cit. cap. ult. n. 16 et Jason. in *Repetit.* l. *Admonenti*. n. 158. ff. de *Jurejurand.* et aliis, id contigisse ex eo, quia ibi confessio solum facta fuerat incidenter, videlicet occasione requisitionis aliorum, ut conderet testamentum ; non autem principaliter, ac propter se. Siquidem ibi non agebatur, nec quærebatur, an confessus se et sua monasterio obtulerit ; sed quia is requirebatur a circumstantibus, ut conderet testamentum, ad excusandum se a confectione testamenti confitebatur, quod jam se et sua monasterio obtulerit, sicque amplius nequeat facere testamentum. Unde liquet, quod confessio illa solum facta fuerit incidenter.

43. *Confessio solum incidenter facta, plene non probat.* — Porro, quod confessio solum incidenter facta non præjudicet confitenti, seu plene contra eum non probet, sed ad hoc requiratur, ut quis confiteatur principaliter, propter illud ; tradit Abbas, loc. cit. n. 16. et c. *Inter dilectos*. n. 6. de *Donation.* post Bartolum in l. *Si confessus*. n. 3. ff. de *Custod. reor.* et Farinacius, lib. III. quæst. 81. n. 219. citans plurimos alios ; atque pro regula ponens, « quod confessio incidenter emanata de crimine, ad quod non agebatur, ad condemnandum non sufficiat : » imo etiam ad torturam indicium non faciat, quando ejusmodi confessio extrajudicialis incidenter, seu ad alium finem et effectum, emanata fuit, prout idem n. 228 subjungit. Concordat Mascardus concl. 483. de *Probationibus*. n. 1. et seqq. post Decium in c. *At si clerici*. n. 19. et seqq. et canonistas communiter, de *Judic.* concludens, confessionem incidenter factam non probare. Unde si Titius a me petat mutuo centum florenos, et ego, ut me excuse, dixerim, « Non habeo ; imo ego ipse, quia indigebam, centum mutuo accepi a Cajo : » non idcirco Cajus, licet præsentè istud audierit, poterit ex tali confessione contra me agere : cum hanc non fecerit principaliter super ipso mutuo Caji, sed incidenter solum, videlicet ad me excusandum a dando mutuo, prout datam conclusionem suam exemplifica-

Mascardus ibid. n. 2. allegans alios. (ADNOTATIO XLVIII.)

44. *Referuntur casus, in quibus confessio extrajudicialis plene non probat, etiam causa expressa.* — Objicies ulterius textum in l. *In contractibus.* et l. ult. c. *De non numerat. pecun.* nam ibi clare habetur, quod confessio ex causa mutui, etiam scriptis facta, imo et juramento firmata, plene non probet, sed intra biennium possit adhuc opponi exceptio non numeratæ pecuniæ; nisi aliter probetur, numerationem pecuniæ esse factam. Similiter exceptio non numeratæ dotis potest intra certum tempus opponi, etiamsi dotem a se receptam fuisse, maritus dotalibus instrumentis confessus sit, l. I. et l. ult. c. *De dote causa non numerat.* Insuper in Auth. *Sive a me C. Ad. Si. C. Vellejanum*, mulier consentiens alienationi rei sibi propter nuptias assignatæ, eandemque confitens, sibi non præjudicat, nisi hoc fiat sub certa forma ibidem expressa. Ergo confessio extrajudicialis plene non probat, etiamsi causa in ea fuerit expressa. Resp. cum Glossa in c. *Si cautio. §. Confessione.* et Abbate ibid. n. 8. ac seqq. *de Fide instrument.* datam conclusionem, seu regulam fallere in allatis casibus, propter specialem juris dispositionem: alias secus esse. Ratio autem specialitatis, est fragilitas humana in hisce casibus magis periculosa. Nam imprimis egestate pressus, ut pecuniam mutuam facilius acquirat, promptius solet esse ad transmittendam in scriptis attestationem de ejus receptione, antequam ipsam sibi mutuam re ipsa acceperit. Similiter maritus ex desiderio celeriter consequendi uxorem, de facili confitetur dotem a se jam receptam, quam in veritate nondum accepit. In ultimo casu specialitatem suadet facilitas promittendi, et debilitas iudicii, qualis reperitur in sexu muliebri.

45. *Confessio facta calore iracundiæ, non probat, nisi detur perseverantia in ea.* — Fatendum tamen, quod præter jam allatos casus dentur adhuc aliæ limitationes dictæ conclusionis. Puta, si confessio facta est calore iracundiæ: talis enim non probat, nisi detur perseverantia in ea. l. *Quidquid calore.* ff. *de Reg. jur.* et amplius ostendit Mascardus cit. concl. 346. n. 20. Similiter non probat confessio facta per phreneticum, seu alienata mente loquentem, cap. ult. § *Nos causam. de Successionib. ab intestat.* Tacentur nonnullæ aliæ limitationes, de quibus Mascardus, de concl. 346; Maranta cit. tit. *de Confessionibus*, et alii.

46. *An, ut confessio extrajudicialis plene probet, requiratur ejus acceptatio?* — Queritur II. An ad hoc, ut confessio extrajudicialis præsentis adversario facta cum causæ expressione plene probet, requiratur ejus acceptatio? Resp. In hujus resolutione variant doctores. Et quidem non pauci ad id requirunt expressam partis acceptationem; ut Felinus in c. *Si cautio*, n. 23, *de Fide instrument.* et Alexander consil. 20. n. 1. lib. IV. qui istud desumunt ex ipsa significatione vocabuli: quia « confessio » est idem, quod « simul fassio: » nam proprie « confiteri » idem est ac « simul fari. » Eandem sententiam tenet Jason in l. *Tale pactum*, n. 7. ff. *de Pactis* et l. *Postquam liti*, n. 2. c. eod. post Cynum in l. un. in 6. quæst. *de Confessis*, et Salicetum in l. *Generaliter*. in 5. quæst. c. *De non numerat. pecun.* et l. *Jubemus. c. de Liberal. caus.* ubi refert se sæpius ita consuluisse: et plures alii, quos Jason cit. n. 2. et Mascardus, concl. 346. n. 14 et seqq. et concl. 498. n. 12. ac Farinacius, lib. III. *Praxis criminalis*, quæst. 82, n. 7, pro hac sententia allegat.

47. *An, ut confessio extrajudicialis plene probet, requiratur ejus acceptatio?* — Oppositam nihilominus sententiam, videlicet, ejusmodi expressam acceptationem factæ in sui favorem confessionis non requiri; tenet Abbas in c. *Cum dilectus*. n. 5. *de Successionibus ab intestat.*; Antonius de Butrio in cap. ult. n. 12. *de Confessis.*; Socinus, consil. 228. n. 6. ubi dicit hanc esse veriore; Maranta part. VI *Speculi aurei.* tit. *de Confessionibus*. n. 2. asserentis hanc partem communiter teneri; Piringh b. t. n. 36; Farinacius, loc. cit. n. 8. et Mascardus, d. concl. 346. n. 14, citans alios, hancque appellans communem opinionem. Ratio est, quia, cum confessio fiat in favorem præsentis, præsumitur acceptatio ex parte ejus, dummodo non contradicat: ergo non est opus alia expressa acceptatione. Antecedens patet ex reg. 43. juris in 6: « Qui tacet, consentire videtur: » quam regulam procedere in facto concupiscibili censet Glossa in c. *Is qui tacet*. 44. eod. in 6. Condat textus in l. *Qui patitur.* ff. *Mandati*, juncta Glossa fin. *ibid.*

48. *Consultum est, ipsam expresse acceptare.* — In praxi tamen consultissimum erit expresse acceptare confessionem alterius, quæ tendit in favorem suum. Tunc enim confessio ita præjudicat confitenti, ut postea eam revocare non possit: atque in hoc sensu videtur

intelligenda prior opinio. Quod si vero quæritur de acquisitione juris tantummodo, quod competit parti ex tali confessione sibi favorabili, tunc videtur locum habere posterior opinio: atque ita dictas extremas sententias inter se conciliat Mascardus cit. concl. 346. n. 16. post Purpuratum in l. *Postquam*. col. 9. c. *de Pactis.*

49. *Facta præsentis adversario, sed sine causæ adjectione, plene non probat.* — Queritur III. Utrum confessio extrajudicialis præsentis adversario, sed sine adjectione causæ factæ plene probet? Resp. I. Hujusmodi confessio regulariter plene non probat; facit tamen aliquam præsumptionem, imo et semiplenam probationem, quando per eam, qui innititur tali confessioni, allegatur causa. Ita Speculator, tit. *de Confessionibus*. n. 7; Alexander, consil. 4. n. 2 et 12. vol. I; Jason in *Repetit.* l. *Admonenti*. n. 158. vers. *Quid in confessione.* ff. *Jurejurand.*; Maranta, part. VI *Speculi aurei.* tit. *de Confessione*, n. 6; Mascardus, concl. 45. n. 1. et concl. 346. n. 26. et Barbosa c. *Si cautio*. n. 2. *de Fide instrument.* cum aliis, quos allegat. Idque desumitur ex d. c. *Si cautio*, 14, *de Fide instrument.*, ubi hoc ipsum deciditur de confessione per cautionem, seu scripturam *indeterminate*, hoc est, sine expressione causæ ipsius debiti facta. Concordat textus in l. *Nuda ratio*, juncta Glossa fin. ff. *de Donatione.* et l. *Cum indebito.* § *In omnibus.* ff. *de Probationibus.* et l. *Instrumenta.* c. eod. In quo posteriori loco inter alia dicitur, quod privata testatio se sola sufficiat ad probationem, « si non aliis quoque adminiculis adjuvetur: » et sic, argumento a censu contrario desumpto, facit semiplenam probationem, quæ una cum aliis adminiculis plene probat. Ad idem facit cap. ult. *de Successionibus ab intestat.* ubi Abbas n. 17. et alii.

50. *Fallit hoc in pluribus. Confessio extrajudicialis, etiam sine addita causa plene probat liberationem.* — Resp. II. Data tamen conclusio est limitanda in pluribus casibus. Primo, ut procedat solum, quando ejusmodi confessio fit ad obligandum semetipsum alteri, secus si fiat ad liberandum alterum; ut puta, si quis in præsentia partis, et testium dicat: « Confiteor te mihi ad nihil teneri. » Talis quippe confessio, etsi fiat sine addita alia causa, plene probat liberationem; ut l. *Tale pactum.* et ibi Bartolus in Summario, et Jason n. 1. ac seqq. ff. *de Pactis.* Speculator, ubi supra n. 7. addita ea ratione disparitatis: quia promptiores debemus esse ad liberan-

dum, quam ad obligandum, l. *Arianus. ff. de Actionibus. et obligat.*; Felinus c. *Si cautio*. n. 7. *de Fide instrument.*; Maranta, loc. cit. n. 6; Mascardus, cit. concl. 346. n. 26 et 27. et alii.

51. *Dummodo fiat ab illo, qui jure proprio eam facit: secus, si nomine alieno, ut procurator.* — Solum adde, quod hæc limitatio sit vera, quando confessio fit ab eo, qui jure proprio eam facit: secus, in nomine alieno; ut in procuratore, et administratore. Siquidem horum confessio sine adjectione causæ, non valet ad liberandum. l. *Non abstulit. c. de Novationibus.* ac notat Additio ad Felinum in cit. c. *Si cautio*. n. 7.

52. *Confessio, jurata, etiam sine causa, plene probat.* — Limitatur secundo data conclusio, quando intervenit juramentum: quia confessio jurata etiam sine causa, plene probat; istud enim suadet religio juramenti. Abbas in cap. ult. n. 49. *de Successionibus ab intestat.* id desumens ex Auth. *Quod obtinet. c. de Probationibus.*; Felinus in d. c. *Si cautio*. n. 24 et 25. et Barbosa, ibid. n. 2. *de Fide instrument.*; Maranta, ubi supra n. 4; Covarruvias, part. II. c. *Quamvis pactum. de Pactis*, in 6. § 4. n. 26; Mascardus, cit. concl. 346. n. 18. allegans plurimos alios.

53. *Sicut et confessio geminata.* — Limitatur tertio, quando confessio sine expressione causæ facta, et geminata: quia tunc præsumitur causa. Felinus in cit. c. *Si cautio*. n. 14. et Abbas ibid. n. 2. *de Fide instrument.*; Bartolus, in l. *Cum scimus*. n. 2. c. *de Agricol. et censit.* lib. II; Maranta, loc. cit. n. 15; Mascardus, *de Probationibus.*, concl. 347. n. 37; Farinacius, lib. III, quæst. 82, n. 13, citans alios. Accedit ratio, quia confessio geminata (hoc est, reiterata ex intervallo, et non una ac eodem tempore repetita) ipsaque ejus geminatio, demonstrat enixam mentem sese obligandi; ut l. *Si mulier perfecta.* c. Ad. S. C. Velleian. Ac proinde confessio geminata æquiparatur confessioni judiciali eandemque habet vim, ac si in iudicio facta fuisset. Ludov. Romanus consil. 290. n. 7. Tacentur nonnullæ aliæ limitationes, apud Felinum, et Mascardum, ubi supra, videndæ.

54. *Confessio extrajudicialis absente parte facta plene, non probat.* — Queritur IV. Utrum confessio extrajudicialis absente parte facta, probet? Resp. I. Quando in civilibus fit confessio extrajudicialis absente parte, et tum adjectione specialis causæ, tunc ea cæterquin rite probata inducit semiplenam probationem, non autem plenam. Ita Glossa in c. *Si*

*cautio*. §. *Si causam*. et Abbas ibid. n. 6 et 7; Felinus, n. 24. ac seqq. *de Fide instrument.* et rursus Abbas in cap. ult. n. 16. *de Successionib. ab intestat.*; Bartolus l. *Admonendi*. § *His promissis quaero*, ff. *de Jurejurand.*; Alexander consil. 24. vol. II; Maranta, ubi supra, n. 2; Jason in *Repet.* cit. l. *Admonenti*. n. 158. ff. *de Jurejurand.* hanc appellans communem opinionem, a qua non si consulendo, vel judicando recedendum; Pirhing b. t. n. 36. et alii: quamvis non desint, qui volunt talem confessionem ne quidem simpliciter probare; licet, si fuerit conjuncta alteri verisimilitudine loci, vel temporis, praesumptionem faciat, et transferat onus probandi in adversarium: prout videre est apud Mascardum *de Probationibus*, concl. 347. n. 25 et 26.

55. *Ampliando hoc ad confessionem in judicio factam*. — Atque istud ampliatur ad confessionem in judicio factam parte absente: nam etiam talis plene non probat, per textum in l. *Certum*. § *Si quis absente*. ff. *de Confessis*. et l. ult. juncta Glossa § *Non valere*. *de Interrogat. action.*; Felinus in cit. c. *Si cautio*. n. 22. et Abbas n. 6. *de Fide instrument.*; Mascardus *de Probat.* concl. 347. n. 3. citans plures alios. Idque praeter jura jam allegata, suadet ratione, tum quia non praesumitur quis velle se obligare absenti, nisi aliis adminiculis ejusmodi confessio fuerit reprobata, l. *Cum scimus*. c. *de Agricol. et censit.* lib. II; tum quia confessio facta parte absente, etiam in judicio, non videtur facta ex certa scientia, sed potius ex abrupto, vel ex aliqua occasione: saepe enim ad se excusandum dicit quis se debitorem, cui in veritate ad nihil tenetur, pro discurret Abbas cit. n. 6.

56. *Istud procedit regulariter, patitur tamen quasdam fallentias*. I. *Quando intervenit juramentum*. — Resp. II. Data proxime conclusio regulariter, quidem procedit, patitur tamen plures limitationes, seu fallentias, quarum tredecim enumerat Felinus in cit. c. *Si cautio*. n. 25 et seqq. *de Fide instrument.* Et I. quidem, quando intervenit juramentum. Quia enim juramentum supplet absentiam partis, eo quod per illud obligatio acquiratur Deo, qui ubique est praesens; et quia ob religionem juramenti appositi censetur quis magis praemeditate, atque ex certa scientia, ad actum accessisse: hinc confessio etiam parte absente facta, si sit jurata, plene probat. Felinus cit. n. 25; Bartolus in l. *Cum quis decedens*. § *Codicillis*, ff. *de Legat.* III. Jason

in *Repetit.* l. *Admonenti*. n. 258. ff. *de Jurejurand.*; Pirhing, h. t. n. 38; Mascardus, cit. concl. 347, n. 69, allegans alios.

57. II. *Quando facta est cum expressione causae per scripturam, etc.* — III. *Vel fuit geminata ex intervallo*. — II. Fallit dicta regula, quando confessio cum expressione causae facta est parte absente per scripturam, sive instrumentum aliquod. Etenim scriptura semper loquitur, sicque plene probat, nisi quis possit ostendere errorem, aut probare contrarium, c. *Si cautio*. 14. *de Fide instrument.* et l. *Generaliter c. De non numerat. pecun.* Idipsum procedit, si confessio fuerit facta per epistolam, l. *Publia*. ff. *Depositum*: quia per epistolam censetur quis loqui absenti, qui praesentatur. Aut si ea facta est in scriptura libelli, vel exceptionis producta per partem l. *Cum precum*. c. *de Liberal. caus.*; vel in libro rationum: quia, si pervenerit talis scriptura ad adversarium, videtur loqui vice partis, et eo praedictat. Felinus, ubi supra, num. 34, 34 et 36; Mascardus, d. concl. 347, num. 81, citans alios; idque ulterius probans ex l. *Desiderium*. c. *Depositum*.

III. Fallit, quando confessio extrajudicialis parte absente una cum causae expressione, ex intervallo fuit geminata, et per testes legitime probata. Felinus, loc. cit. n. 39; Abbas c. *Si cautio*. n. 12. *de Fide instrument.* id intelligens, nisi confessionem ex errore factam; Bartolus in l. *Cum scimus*. c. *de Agricol. et censit.* lib. II; Pirhing cit. n. 38. et concordant dicta paulo superius n. 53.

58. IV. *Aut ab alio acceptata nomine alterius*. V. *Seu facta favore causae pie*. — IV. Fallit, quando confiteor me debere aliquid Titio ex certa causa in praesentia alicujus, qui talem confessionem recipit nomine Titii, quamvis non habeat ad hoc speciale mandatum, neque sit nuntius ipsius; quia, si postea Titius ratum habeat, prodest talis confessio Titio. Felinus cit. c. *Si cautio*. n. 37. citans Imolam ibid. *de Fide instrument.* et alios.

V. Fallit, quando confessio parte absente facta est favore causae pie: nam probat, eo quod Deus ubique sit praesens, dictamque confessionem pro pia causa acceptare censetur. Mascardus cit. concl. 347. n. 93. post Tiraquellum *de Privileg. pie causae*. privileg. 116; Baldum in l. *Generaliter*. quaest. 10. c. *De non numerat. pecun.* et alios.

59. VI. *Confessio parte absente facta, de aequitate canonica facit plenam probationem*. —

VI. Et tacendo alias fallentias, apud Felinum, et Mascardum ubi supra videndas, confessio facta parte absente, de aequitate canonica facit plenam probationem: quia secundum aequitatem canonicam sola mens confitentis videtur sufficere. Nam, quia juramentum facit, quod confessio etiam parte absente, plene probet, ut n. 56. dictum: idem etiam de aequitate canonica videtur praestare simplex et seriosus sermo, sive confessio, arg. can. *Juramenti*. 22. q. 5. ubi dicitur, «quod Dominus inter juramentum, et loquelam nostram, nullam vult esse distantiam.» Et ita tenet, atque inter alia discurret Felinus in c. *Si cautio*. n. 27. post Imolam, et Anton. et Card. ibid. *de Fide instrument.* Idemque trahit Alexander, consil. 122. n. 4. vol. VII. loquens de causis spiritualibus, atque favorem animae suae, cui voluit confitentem providere. Baldus c. *Innotuit*. n. 3. *de Election.* istud probans per textum ibidem: «Spontanea tibi, et secreta confessione:» quae tamen plene probavit. Socinus in *Fallentiis*, reg. 56. vers. «Fallit de aequitate canonica,» secundum quam (inquit) valet confessio etiam absente parte: «quia secundum aequitatem canonicam sola mens (exterius sufficienter expressa) sufficere videtur,» Mascardus cit. concl. 347. n. 57 et 58. allegans plures alios, qui attestantur de communi. Anton. Conciolus in *Allegationibus forensibus*, allegat. 8. n. 37. post Rotam apud Burattum decis. 228, n. 5, et decis. 233, n. 8 et decis. 317, n. 6 et decis. 792. n. 9 et decis. 803. n. 4. et decis. 828. n. 4. addens quoque, ita tenere doctores communiter. Rota apud Merlinum decis. 340. Gabriel *de Confessis*. concl. 1. n. 46. citans alios: quamvis nonnulli contrarium tenuerint, quos refert Mascardus cit. n. 57. vers. *Sed consuluit*.

60. *Dummodo confessio illa fuerit plene probata; et qualiter illa probetur?* — Caeterum memorata communis doctorum opinio, seu quod confessio extrajudicialis, etiam facta absente parte, inspecta aequitate canonica plene probet, tum demum procedit, si ipsa fuerint et legitime probata. Conciolus cit. allegat. 8. n. 38. post Gratianum consil. 2. n. 59. lib. II. et alios, et concordant dicta superius n. 36. Censetur autem ejusmodi confessio extrajudicialis plene ac legitime probata, quando de ipsa deponunt duo testes, contestes de loco, tempore et verbis. Rota apud Card. Cerro, decis. 33. n. 24; Conciolus de allegat. 8 n. 39. allegans insuper Censium *de Censib.* quaest. 43. n. 29; Cravettam, con-

sil. 267. n. 1. et alios, unacum multiplici decisione Rotae. Sufficit autem, quod testes concordent in substantia verborum, licet in cortice verborum discordare videantur. Gabriel *de Testib.* concl. 2. n. 64 et seqq. Rota apud Merlinum cit. decis. 340; Farinacius *de Testib.* quaest. 64. n. 68. Quinimo confessio extrajudicialis probatur etiam testibus singularibus, quando concurrunt alia adminicula. Rota apud Bichium, decis. 49; Conciolus d. allegat. 8. n. 43. de quo tamen inferius tit. XX. *de Testib.* § 7. n. n. 297 et seqq. agendo de singularitate adminiculatorum testium.

61. *Simulque ea fiat animo deliberatio, ae serio, sitque certa, et aequivoca. De aequitate canonica idem praestat sermo seriosus, ac juramentum*. — Insuper, ut confessio extrajudicialis de aequitate canonica probet necesse est, quod ea fiat animo deliberato, et serio; non autem ex joco, vel ex ignorantia, inadvertantia, et sine animo confitendi. Rota apud Bichium cit. decis. 49. Neque ex calore loquacitatis inter comessationes, aut cum mulieribus. Rota loc. cit. Praeterea confessio ejusmodi, ut noceat, debet esse certa, et indubitata. Rota apud Rubeum part. VIII. decis. 68. n. 21. et apud Bichium decis. 75. n. 12. ubi confessio aequivoca, et dubia, non nocet confitenti: et ne noceat, sufficit, quod non sit omnino clara, Rota apud Bichium decis. 169. n. 17. et decis. 479. n. 6. et decis. 580 et 584. et apud Campagnum decis. 174. n. 9.

## § III.

## DE EFFECTIBUS ET REVOCATIONE CONFSSIONIS JUDICIALIS.

62. *Confessionis judicialis effectus, qui? Haec plene probat, et inducit notorium juris*. — Quaeritur I. Qui sint effectus confessionis judicialis? Resp. I. Sunt multiplices. Imprimis enim confessio facta in judicio, non solum plene probat, atque actorem ab onere probandi, relevat; sed etiam facit rem manifestam, et inducit notorium juris. Textus est in cap. ult. *de Cohabitat. cleric.* et c. *Cum olim*. 24. *de Verb. signif.* cum concordantiis; ac notat Mascardus *de Probationibus*, concl. 348. n. 1 et seqq. et Farinacius, t. III. *Praxis criminalis*, quaest. 81. n. 3. cum communi aliorum, quorum plurimos allegant.

63. *Confessio facta in judicio summario, probat etiam in plenario*. — Intellige tamen istud de confessione judiciali, caeteris conditionibus ad eam requisitis vestita, et nisi debito